titiæ aut fidelitatis. Sicut servare votum validum, religio est, licet fortasse in ipso voto emittendo peccatum aliquod fuerit commissum; neque tunc approbatur prior promissio, ut mala, sed ut habuit virtutem obligandi, secundum quam rationem bona est. At vero quando promissio non tantum est mala, sed etiam irrita, aliter respondendum est; fatemur enim tunc non posse fieri actum in virtute promissionis, ut promissio est; dico tamen posse fieri ratione assertionis, quam includit promissio. Nam cum actus sit honestus (ut supponitur), eo ipso quod dixi me facturum illum, licet erraverim promittendo, possum postea illum efficere, non quia promisi, sed quia dixi; nam per se honestum est facere verum quod dixi, si alias licite possum, licet non tenear. Et hac ratione si tali promissioni addatur juramentum, obligat saltem ut confirmans assertionem, quæ vera fieri honeste potest. Unde falsum est quod assumebatur, juramentum tunc obligare ad illum actum, ut promissum, nam formaliter loquendo non obligat ad illum, nisi ut assertum: et ita nunquam fit ille actus ut debitus ex vi promissionis, sed tantum ex vi juramenti.

10. *Cur juramentum additum promissioni illicitæ non semper obliget.*—Unde tandem intelligitur, cur in assertione non dixerim universaliter, juramentum additum tali promissioni semper obligare, sed solum indefinite posse obligare, quia talis potest esse materia, ut omnis obligatio sive promissionis, sive juramenti illi repugnet, etiamsi talis actus alias sponte factus non sit malus; ut, verbi gratia, in casu, in quo sit verum esse aliquod peccatum confirmare sponsalia per adjectionem pœnæ, non minus erit peccatum, si id fiat per juramentum quasi per se stans, et confirmans assertionem de futuro, quam si fiat per promissionem, vel simplicem, vel juratam, quia quocumque modo illa pecunia, vel res designata in pœnam, ex obligatione solvenda sit, induit veram rationem pœnæ, et minuit libertatem matrimonii, in quo posita erat ratio talis culpæ, et ideo in tali materia non magis poterit obligare juramentum, quam promissio, quia non minus erit malum solvere illud, ut debitum ex juramento, quam ut debitum ex promissione.

11. *Quæ materia promissionis possit confirmari juramento, quæ vero non.*—Simili modo dicebamus supra, quando est turpe, et contra bonos mores naturales, promittere non accusare, vel non denunciare delictum committendum, etiam juramentum de eadem materia esse omnino invalidum, quia licet facto ipso non denunciare vel non accusare possit esse honestum, obligatio ad illud non est honesta propter licentiam peccandi, quæ per occasionem alteri datur (quod tantum exempli gratia dicitur); si tamen illud verum est in obligatione promissionis, etiam est verum in obligatione juramenti, ut supra etiam declaratum est. Quotiescumque ergo materia fuerit talis, ut nulla obligatio circa illam expediat, vel sit consentanea bonis moribus, tunc sicut promissio de illa est mala, et non obligat, ita etiam juramentum, etiamsi alias talis materia sit actio, vel omissio, quæ, sponte et sine obligatione facta, honesta sit. Si quis tamen recte consideret, semper tale juramentum revocatur ad illud, quod est illicitum ex parte materiæ, quia habet pro materia illum actum, ut faciendum postea ex obligatione, quo modo non bene fit, et quoad hoc habet locum exemplum de juramento non ingrediendi religionem. Quando vero materia honesta est, et illi non repugnat obligatio simpliciter, sed tantum obligatio promissionis humanæ, tunc obligabit juramentum, non obstante defectu promissionis.

CAPUT XXV.

QUOMODO DIFFERANT JURAMENTUM CONFIRMATORIUM, ET PER SE STANS, QUANDO FERUNTUR SUPER CONTRACTUS PROHIBITOS.

1. Diximus obligare juramentum cadens in contractum lege prohibitum, quando sine peccato servari potest, unde oritur gravis et difficilis quæstio, an tale juramentum confirmet contractum; quæ licet ad jurisperitos pertinere videatur, et ideo ab ipsis copiose disputetur, ut capite sequenti attingam, tamen etiam in foro conscientiæ multa ex illa pendent, et ideo illam etiam tractant Theologi, præsertim moderni, Molin., tom. 1 de Justit., tract. 2, disp. 150 et 151, et tom. 2, disp. 271; Azor, tom. 1, lib. 11, c. 7. q. 1 et seq.; Less., de Just., lib. 2, cap. 17, dub. 7; Sanc., lib. 1 de Matrim., disp. 32, et ob eamdem causam non potuit a nobis omnino prætermitti. Oportet tamen prius exponere terminos ipsos, quod in hoc capite faciemus declarando differentias inter hæc duo, juramentum confirmare pactum, vel tantum obligare.

2. *Duplex obligatio reperitur in juramento promissorio.* — Ad hoc autem explicandum suppono ex doctrina D. Thom., dict. q. 89, art. 7, ad 3, in juramento promissorio duplicem posse inveniri obligationem, unam, homini cui fit promissio, et ex vi illius; aliam, respectu Dei, ratione juramenti. Quando ergo promissio est per se inefficax, et ex juramento illi addito nascitur obligatio, dupliciter id intelligi potest. Primo, ut juramentum, relinquendo promissionem inefficacem ad obligandum, suam introducat obligationem. Secundo, quod juramentum sic additum promissioni de se inefficaci, et illam reddat efficacem ad obligandum, et suam etiam obligationem adjungat. Primum ergo modum vocamus simpliciter obligatorium, seu per se inductivum obligationis, secundum vero etiam confirmatorium.

3. *Prima differentia inter juramentum confirmatorium, et per se stans.* — Unde constat, primam, et quasi substantialem differentiam inter hos duos modos esse, quod juramentum per se stans, unica tantum obligatione ad religionem pertinente obligat jurantem, ut divus Thomas dixit de juramento extorto per injuriam; si autem juramentum est confirmatorium, duplex obligatio invenietur in illo actu, scilicet, religionis seu juramenti, et justitiæ vel fidelitatis humanæ, non minus quam esse soleat in juramentis promissoriis, quorum promissio ex se valida est. Quia juramentum confirmatorium facit, ut promissio ipsa quasi reviviscat, viresque resumat obligandi, et ideo per illum actum non solum obligatur jurans Deo, sed etiam homini. Et hanc differentiam constituunt omnes Doctores in hac materia, ut patet ex Abbate, et aliis, cap. 1, et cap. *Cum contingat*, de Jurejuran., et bene declarat Anton. Gomez, 2 tom. Variar., cap. 14, n. 21; Covar., in d. cap. *Quamvis pactum*, 2 part., § 1, per totum, præsertim num. 7, concl. 4.

4. Ex hac differentia sequuntur aliæ: secunda est, quia quando juramentum est tantum per se inductivum obligationis, et promissio, cui adjungitur, secundum se erat invalida, si juramentum non sit confirmatorium, sed tantum per se stans, illo relaxato extinguitur omnino obligatio et contractus. Si autem juramentum sit confirmatorium, quamvis postea relaxetur ab alio quam a creditore, nihilominus manet obligatio justitiæ, vel fidelitatis, quæ ex contractu nascebatur: ita docent citati auctores. Et prima pars manifesta est, quia ibi tantum erat una obligatio, et illa fuit ablata per relaxationem juramenti; ergo nulla relinquitur. Item promissio per se erat invalida, et non est facta valida per adjectionem juramenti; ergo ablato juramento, ut per relaxationem aufertur, manet invalida, sicut antea de se erat, et consequenter nullam obligationem inducit, sed statim potest contra illam fieri sine ulla culpa.

5. Altera vero pars non est extra controversiam inter Doctores, ut late disputat Felin., c. 2, de Jurejuran., ubi ipse tenet contrarium cum Abbate, in cap. *Cum contingat*, de Jurejurand., num. 9, quorum fundamentum esse potest, quia contractus ille, qui de se erat invalidus, quasi sustentatur et fulcitur juramento, et ideo ablato juramento statim corruit; sed contrarium communiter censetur probabilius, quod cum Angelo de Perusio tenuit idem Panorm., cap. 1, de Jurejur., num. 12; et sequitur Gomezius supra, et Anton. Gomez, in leg. 6, tit. 19, part. 6, Glos. 9. Ratio est (illam modo nostro explicando), quia firmitas illa, quam accepit contractus per adjectionem juramenti, non pendet in conservari a juramento; et ideo licet ab eo fuerit dependens in fieri, nihilominus, ablato juramento, contractus firmus permanet, sicut effectus durat ablata causa, a qua non pendet conservari. Antecedens probatur ex regula juris 73, in sexto: *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.*

6. Sed hoc non convincit, quia responderi potest ex fundamento contrariæ sententiæ, quod contractus ille non fuit legitime factus, nisi ut conjunctus, et quasi informatus juramento, et ideo retractationem, seu relaxationem juramenti esse virtualem dissolutionem ipsius contractus. Et ita non est simile, quod adduci solet de legitimatione, quæ non rumpitur propter nativitatem legitimorum; ibi enim optime accommodatur regula, nam ille est casus extrinsecus, et accidentarius, et non pertinet ad propriam, et per se causam legitimationis.

7. *Aliorum responsio.* — Alii ergo rationem reddunt, quia quamvis contingat contractum firmari juramento, non id fit virtute juramenti, sed virtute legis ita disponentis, ut infra videbimus; atque ita juramentum non est causa propria illius validitatis contractus, sed illa est lex quæ irritationem abstulit, et reliquit contrahentium voluntates efficaces, ut possent validum contractum efficere. Fuit autem juramentum veluti conditio necessaria, ad quam lex respexit,

ad auferendam in eo casu irritationem ; et ideo quamvis postea juramentum auferatur, firmus manet contractus, quia sicut juramentum non firmavit illum, ita nec relaxatio irritat, et lex, quæ semel abstulit irritationem, non irritat iterum contractum, eo quod auferatur juramentum, nec per solam retrocessionem unius partis irritari potest, cum jam efficaciter se obligaverit non impediente lege. Quæ ratio probabilis est, sed supponit fundamentum incertum, de quo in sequentibus. Si autem illud non admittatur, necessario dicendum est, juramentum confirmatorium supponere aliquam obligationem naturalem, quæ cum sit prior, de se manere poterit ablata posteriori, qualis est obligatio juramenti. Quod si fortasse occurrat alia causa unde illa etiam cesset, jam erit aliunde, non ex vi relaxationis juramenti. Quæ omnia ex sequentibus magis constabunt.

8. *Quid operetur differentia supposita in eo casu.—Si creditor relaxet juramentum, etiam contractus dissolvitur.* — At vero illa differentia supposita, quæri potest quid operetur in eo casu relaxatio juramenti. Videtur enim inutilis, si contractus remanet firmus. Quæ ratio præcipue movit Felinum supra. Respondetur imprimis, hoc per se et immediate operari, quod per illam aufertur propria obligatio juramenti ad religionem pertinens, et consequenter ut non sit perjurus, si quis contractum non servaverit. Secundo tollitur impedimentum juridice petendi ut dissolvatur contractus, si causæ subsunt; stante enim juramento, non poterat quis sine perjurio hoc intentare; relaxato autem juramento potest, ut bene notavit Covar., dicto § 1, num. 7. Et ideo dixi supra hoc intelligendum esse de relaxatione facta ab alio, quam a creditore; nam si creditor ipse relaxet juramentum, etiam contractus dissolvitur, et cessat omnis obligatio. Quia non potest creditor relaxare juramentum quasi per se, et immediate, sed cedendo juri suo, et quasi tollendo fundamentum juramenti, ut infra dicemus. Prælatus autem potest per se et immediate relaxare juramentum, intactum (ut sic dicam) relinquendo fundamentum ejus, et ideo est longe diversa ratio. Posset autem interdum superior auferre simul et juramentum et omnem obligationem, rescindendo contractum, sed hoc accidentarium est, et hic solum dicimus, ex relaxatione juramenti ut sic per se non sequi ablationem alterius obligationis. Quod pro omni juramento promissorio, etiam per se firmo et valido, observari potest. Quomodo autem talis relaxatio magis in uno juramento quam in alio dari possit, postea videbimus.

9. *Tertia differentia: juramentum confirmatorium contractus confert et obligationem et actionem in judicio.*—Tertia differentia assignari potest, quia quando juramentum est confirmatorium promissionis, seu contractus, non solum confert obligationem, sed etiam dat actionem in judicio; quando vero non est confirmatorium, licet suam inducat obligationem, non tamen dat actionem homini ad petendum tale debitum in judicio. Hæc differentia ad forum magis externum quam conscientiæ pertinet, et ideo brevissime illam explicabo. In primo igitur membro supponitur, quando promissio humana de se valida est, etiamsi sit simplex (quæ fortasse nude sumpta non daret actionem in judicio), ita firmari juramento voluntario plene, id est, non metu vel dolo extorto, ut det etiam actionem in judicio, ut est communis sententia juristarum, cum Bart., in leg. *Si quis pro eo*, ff. de Fidejussoribus, num. 3 et sequentibus; et videri potest Jason, in leg. *Juris gentium*, § *Sed cum nulla*, ff. de Pactis, num. 21; et Covar. supra, 2 part., § 60, præsertim num. 15, verb. *Quia*; Sarmiento, lib. 1 Selectar., cap. 3; et Mendosa, lib. 1 suarum Disputationum de Pactis, c. 4, quæst. 1, a num. 16, qui plures, etiam Bart. ipsum, in contrarium allegat, et contra eos pro hac sententia latissime disputat.

10. Ex hoc ergo principio manifestum est, juramentum confirmatorium pacti, vel promissionis alias invalidæ, etiam conferre eamdem actionem, quia non solum inducit suam obligationem religionis, sed etiam firmat obligationem naturalem vel civilem respectu ipsius hominis; sed ex hac obligatione ad hominem per obligationem juramento firmatam nascitur actio; ergo ex juramento confirmatorio eadem actio oritur. Denique per tale juramentum non minus firmatur promissio, quam si per se et nude sumpta valida esset; ergo ita confert actionem, ac si accederet promissioni de se validæ. Et inde probatur aliud membrum, quia juramentum per se stans, licet obliget jurantem respectu Dei, non tamen habet adjunctam obligationem respectu hominis, et consequenter non dat aliquod jus ei, cui fit juramentum; ergo neque actionem præstare potest, quia omnis actio fundatur in jure creditoris, ut patet ex § 1, Institut., de Actionib., ubi definitur actio, quod sit jus persequendi in judicio, quod

sibi debetur; et videri potest Covar. supra, 1 part., § 2, num. 3. Habet autem hæc differentia, præsertim quoad hoc posterius membrum, aliquas difficultates, quæ non sunt nostri instituti, et ideo illas omitto.

11. *Quarta differentia: obligatio orta ex juramento confirmatorio transit ad hæredes.*— Quarta differentia solet etiam assignari, quia si juramentum sit confirmatorium, obligatio ejus transit ad hæredes, non vero quando est tantum per se obligans. Prior pars manifeste sequitur ex dictis, quia jura et actiones defuncti transeunt ad hæredes, et ita in illa parte nulla est difficultas. Secunda vero pars contraria ratione probanda est, pendet vero ex illa quæstione, an juramentum ita sit actio personalis, ut solam personam jurantem obligare possit, et ideo cum ipsa etiam persona extinguatur, de qua in capite sequenti dicturi sumus. Supponendo autem pro nunc partem affirmantem, scilicet, juramentum esse mere actionem personalem, aperte ex illa sequitur dicta differentia, nam si juramentum per se stet, et solam suam obligationem inducat, solum jurantem obligare potest, non ejus successores, quia est unica obligatio, et pure personalis.

12. *Quinta differentia.*—Quinto constitui solet alia differentia, quia si juramentum non sit confirmatorium, licet obliget, satis est ad juramentum implendum, tradere alteri quod ei promissum est, statim vero potest repeti, et quacumque via legitima recuperari absque violatione juramenti, et absque relaxatione præmissa, quia per solam traditionem fuit impletum juramentum, et consequenter extincta ejus obligatio, quæ sola ibi inveniebatur, ut ostensum est. Et hæc pars sumitur ex cap. *Ad audientiam*, de Iis quæ vi, ubi Glossa et Doctores, et Covar. supra, p. 2, § 3; Guttier., 1 p., cap. 53. At vero quando juramentum est confirmatorium, ita implendum est, ut non liceat postea contravenire, nec detur repetitio ejus quod solutum est. Ratio est, quia ex vi talis juramenti promissorii consurgit obligatio non solum ad Deum, sed etiam ad eum cui fit promissio; ergo illi acquisitum est jus; ergo impletio juramenti est justa solutio ex parte dantis, et justa acceptio ex parte recipientis; ergo non est locus repetitioni nec retractationi. Et ita docent jurisperiti in Authent. *Sacramenta puberum*, præsertim Jason, n. 41, et Canonistæ, in cap. *Quamvis pactum*, ubi Dominicus Francus, atque etiam Covar., 2 p., § 3.

13. *An satisfiat juramento non confirmatorio solvendo debitum, et statim dando locum repetitioni.* — Atque in hac posteriori parte non invenio rationem dubitandi; solum potest adverti, quod licet in tali casu non detur locus repetendi quod solutum est, id non est ex vi juramenti, nam per solutionem sufficienter impletum fuit, et extincta ejus obligatio; sed est ratione justitiæ, quia nullus superest titulus justus ad repetendum. Unde si de facto fieret repetitio iniqua conficto titulo, peccaretur contra justitiam, non contra juramentum, quia non fuit de non repetendo; et ita procedit ratio textus in dicto c. *Ad audientiam*. Et hinc mihi suboritur dubium circa prius membrum, an sine limitatione in universum verum sit, quotiescumque juramentum non est confirmatorium, satisfieri solvendo, et statim dari locum repetitioni. Nam licet interdum possit tale esse juramentum, ut dicto modo illi satisfiat, et tunc sit optimum signum, tale juramentum non esse confirmatorium, propter rationem in secundo membro tactam, tamen quod e contrario fiat conversio, scilicet, in omni juramento non confirmatorio illum modum solvendi et postea repetendi habere locum, mihi non est certum, quia videtur fieri posse ut aliquod juramentum confirmatorium non sit, et nihilominus non relinquatur justus titulus ad repetendum. Sed hoc pendet ex dicendis, et ideo postea expedietur.

14. *Sexta differentia.—Advertendum circa relaxationem juramenti confirmatorii.—Aliud advertendum circa relaxationem juramenti non confirmatorii.* — Sexta differentia solet constitui, quia in juramento confirmatorio non licet petere absolutionem, seu relaxationem; quando vero est tantum per se inducens obligationem, potest peti relaxatio, et concedi, et postea sine peccato non impleri juramentum. Ratio prioris partis est, quia per juramentum confirmatorium jus est acquisitum, et ideo injuria fieret parti, si absolutio juramenti peteretur vel concederetur, quæ ratio cessat in juramento non confirmatorio, quia per illud non acquiritur jus parti, et ita illi non fit injuria per relaxationem juramenti. Neque etiam fit irreverentia Deo, quia ejus nomine, et per Vicarium ejus, et ex justa causa fit relaxatio. Hujus vero differentiæ exacta declaratio pendet ex dicendis infra de ablatione obligationis hujus juramenti, nunc vero occurrunt duo notanda. Unum est circa primum membrum: nam ut sit universaliter verum, debet intelligi præcise, et ex vi conditionum, seu

circumstantiarum intrinsecarum tali juramento, nam in eis præcise spectatis non invenitur justa causa relaxandi juramentum cum detrimento tertii. Hoc tamen non impedit quominus aliunde possit intercedere justa causa ad relaxandum tale juramentum; nam infra ostendemus juramenta etiam omnino firma a principio posse postea relaxari ex justa causa, neque tunc fieri injuriam tertio, quia semper intelligitur acquirere illud jus subordinatum legitimæ potestati superioris. Aliud notandum sequitur ex hoc primo, scilicet, secundum membrum esse cum proportione intelligendum, nimirum, juramentum non confirmatorium esse relaxabile ex vi causæ intrinsecæ, quam in se claudit, quia si intelligeretur per causa extrinsecas, nulla esset differentia. In hoc autem sensu, non immerito dubitari potest an illud secundum membrum sit universaliter verum, esto frequenter ita contingat: sed hoc etiam expedietur in sequentibus.

CAPUT XXVI.

AN JURAMENTUM CONTRA LEGES RESPICIENTES BONUM PUBLICUM VEL PRIVATUM CONFIRMET CONTRACTUM?

1. *Sensus quæstionis.*—Suppono imprimis, promissiones, vel pacta jure civili prohibita, interdum esse ipso jure et facto nulla; aliquando vero esse valida, per judicem autem irritabilia. Quæstio ergo præsens præcipue versatur de prioribus legibus et pactis; suo tamen modo etiam locum habet in posterioribus. Quia licet talia pacta supponantur valida, et ut talia inducant suam obligationem, cui accedere possit odligatio juramenti, et sic habeat rationem confirmatorii, nihilominus quia illa pacta infirma sunt et irritabilia, dubitari potest an per juramentum ita confirmentur, ut eorum irritatio nec postulari possit, nec a judice fieri. De hoc itaque puncto in fine dicemus, nunc prius tractandum est. In quo statim apparet ratio dubitandi, quia si promissio vel contractus supponitur esse nullus, nulla supponitur obligatio, quæ per juramentum confirmetur; quomodo ergo tale juramentum esse poterit confirmatorium. In contrarium vero est, quia multa jura hoc significant.

2. *Prima opinio.* — In hoc puncto explicando juristæ variis utuntur distinctionibus, quas sigillatim tractare necesse est. Prima ergo opinio distinguit inter leges, quæ in sua dispositione respiciunt immediate bonum publicum, vel privatum, et supposita distinctione dicit duo. Unum est, juramentum repugnans legibus boni publici non esse confirmatorium. Aliud est, juramentum contra leges tantum privata commoda respicientes confirmatorium esse. Ad quam opinionem intelligendam primo declaranda est distinctio. Nam licet de ratione legis sit, ut ad bonum commune referatur, nihilominus quædam leges sunt, quæ habent pro materia proxima commune bonum, ut sunt illæ quæ immediate respiciunt ipsum statum reipublicæ, et utilitatem communitatis, ut communitas est, ut sunt illæ quibus instituitur, vel conservatur immunitas sacerdotum, publicorum judiciorum integritas, sufficientia, vel abundantia rerum ad bonum commune necessariarum, propter quam prohiberi solet ne pecuniæ, frumenta, et aliæ res similes extra regnum ferantur, et aliæ leges hujusmodi. Aliæ vero leges sunt, quæ respiciunt bonum commune mediante privato, ita ut materia proxima legis sit bonum uniuscujusque civis quatenus ex singulorum commodis conveniens status communitatis consurgit, ut sunt leges quibus conservantur patrimonia singulorum, vel quibus consulitur imperfectioni minorum vel mulierum, et similes. Et hoc modo distinctio hæc optima est, et habet fundamentum in l. 1, § 1, ff. de Justitia et jure, et eam indicat Bart., in d. l. *Si quis pro eo*, et in l. *Jus publicum*, ff. de Pactis; Panorm., in cap. *Cum contingat*, de Jurejur., num. 5 et 6, et explicat bene Navar., in cap. *Cum minister*, 23, quæst. 4, num. 28 et sequentibus; et Covar. supra, 2 part., § 1, num. 6. Verum est tamen quod, licet distinctio inter illa duo membra in generali facilis sit, in particulari sæpe est satis dubia, quia non satis apparet an transgresssio legis immediate offendat communitatem, ut communitas est, vel privatam personam, ut sic, et solum mediate redundet in bonum commune; sed nihilominus ex his capitibus conjectura semper facienda est, et in dubio in favorem communis boni videbitur inclinandum.

3. *Probatur prima opinio, juramentum contra leges commune bonum respicientes non firmare promissionem a privata persona factam.*—Hoc supposito, probatur utraque pars illius sententiæ. Prior scilicet, juramentum contra leges prospicientes immediate communi bono non firmare promissionem a privata persona factam, quia nullus privatus potest renunciare favori legis prospicientis immediate communi bono, lege *Jus publicum*, ff. de Pactis, et cap. *Si diligentis*, de Foro competenti. Ex quo textu solet probari hæc pars. Altera vero probatur contraria ratione, quia unusquisque potest renunciare juri concesso per legem proxime in favorem privatorum, ut habetur in eodem cap. *Si diligenti*, et sumitur ex Regula Juris 61, in 6, *Quod ob gratiam*, etc., et leg. *Quod favore*, Cod. de Legibus, et leg. *Juris gentium*, § *Si paciscor*, ff. de Pactis; ergo juramentum factum contra hujusmodi leges obligat, quia per illud renunciat quis juri suo, quod licite facere potest. Et hoc modo videntur intelligenda cap. *Cum Contingat*, de Jurejur., et cap. *Licet mulieres*, eodem, in 6, et cap. *Quamvis*, de Pactis, in 6; et Authentica *Sacramenta puberum*, Cod. *Si adversus venditionem*. Atque ita sententia hæc videtur communiter probari ab auctoribus super hæc jura; et Bart., locis supra citatis; Covar. supra, 2 part., § 1, per totum; Gutier., de Juramento, 1 part., cap. 58, num. 13 et sequentibus.

4. Sed hæc distinctio, in sensu quo traditur ab auctoribus, non recte accommodatur ad sensum quem tractemus. Illa enim divisio (ut supra notavi) dari solet ad explicandum quando juramentum contra leges civiles sit invalidum, vel possit esse validum; in quo sensu habet divisio fundamentum in leg. *Juris gentium*, § *Si paciscar*, ff. de Pactis, ubi similis divisio de pactis ponitur. Et in illo sensu probabile est, omne juramentum contra leges publici juris esse invalidum. Sed hoc ad præsentem causam non refert. Tum quia nunc non quærimus quando juramentum contra bonos mores civiles sit validum, hoc enim in superioribus actum est; sed tractando de juramento valido et obligante, inquirimus quando confirmet vel non confirmet contractum; ad hunc autem sensum illa distinctio nihil deservit. Tum etiam quia si juramenta contra leges juris publici sunt invalida, non habent id præcise ex eo quod sunt contra jus civile, sed quia sunt contra bonos mores, ita ut servari non possint sine peccato; hæc enim est unica et generalis regula discernendi juramentum validum ab invalido in materia possibili, ut ex jure canonico constat. Sunt ergo talia juramenta contra bonos mores naturales, et ita non pertinent ad præsentem quæstionem.

5. Quod vero talia juramenta sint invalida, probatum est supra in particulari casu cap. *Si diligenti*, quia in clerico renunciare privilegio fori, peccatum est; et servare pactum circa hoc factum, peccatum etiam est. Et inde sumitur ratio universalis, quia pacisci in præjudicium boni communis est contra justitiam, saltem legalem; et renunciare juri alieno, id est, communitatis, ac si esset proprium, injuriosum est; ergo juramentum, quod in tali materia versatur, iniquum est. Non sunt ergo talia juramenta, ex his quæ obligando non firmant contractum, sed sunt ex his quæ non obligant, quia injusta sunt. Potest denique confirmari inductione; nam juramentum deferendi pecuniam, frumentum, vel alias res prohibitas extra regnum, non obligat, quia est de re iniqua; nam leges illæ, cum absolute prohibent, actu in conscientia obligant, ut suppono; idem est de juramento dandi aliquid judici contra legem prohibentem, et in similibus. Unde leges, prohibentes aliquid pertinens immediate ad commune bonum, ordinarie directe cum personis loquuntur, et obligant in conscientia, vel sub mortali, vel sub veniali, juxta materiæ quantitatem. Ut est recepta sententia cum D. Thom. 1. 2, quæst. 96, art. 4; et Doctoribus communiter, in cap. *Nam concupiscentiam*, de Constit., et in cap. 2, de Majoritate et obedientia. Atque ita fit, rem prohibitam per talem legem esse malam moraliter et in conscientia, et ideo juramentum circa illam esse invalidum; et ita explicant hanc partem Covar. supra, part. 2, § 2, n. 7; et Matienço, in lib. 5 Novæ Recopilat., tit. 2, l. 2, Glos. 3, num. 11 et 17.

6. *Juramentum contra leges boni communis non solum non est confirmatorium, verum etiam non obligat.* — *Objectio.*— Dices, etiam in hoc sensu non esse hanc regulam universalem, quia contingere potest ut lex immediate prohibeat propter bonum commune pactum aliquod, vel promissionem, et nihilominus non prohibeat actum promissum; tunc ergo juramentum promissorium contra legem postea obligabit ad actum, qui non est contra talem legem, et ideo sine peccato fieri potest, juxta dicta in superiori capite. Antecedens sufficienter probari videtur, ex eo quod ex objecto non repugnat talem fieri legem; potest enim promissio esse nociva bono communi, et non actus. Deinde potest declarari exemplis. Unum est de pacto legis commissoriæ, quod in pignoribus reprobatur jure civili propter commune bonum, scilicet ad vitandas fraudes, et occasiones usurarum, leg. 3, seu ult. Cod. de Pactis pignorum; et nihilominus si juramentum addatur, validum est, et obligat juramentum, in cap. *Significante*, de Pignoribus; et